


Moguntiae

1786.

1. Brunschisel, Hendelius: *Vindicatione libri de his
iure deductus territorialis, quod ad bona
militia nobilis imperii immundat, in calo
seruit vel numeris Anticis dominus territo-
riali quoniam absitici.*
2. Cornium, Friedrich Wilhelm: *Von dem grossen
Nimmt hanßischen Maximiliani I bey Natur-
zeichnung der Wirkungen in hessischen Reichs-
sachen.*
3. Dimer, Stephanus: *Refunctionum intra conso-
lentiam restitutio*
4. Dorsch, Anton Joseph: *W Philosophie in
deutschler oder latinerischer Sprache auf deutscher
Universitäten vorzubringen?*
5. Flotter, Antonius Franciscus: *De Moguntiis. Ida-
leria cuiusdam successione mutua.*

1786.

6. Molitor, Valent. Frider: Selectae quaedam quaestio-
num iuriis controversarum Decisiones ex praxi
Mofantina haustae.
7. Schaub, Conrad Antonius: De fiduciis iuris, qui, at
dictorum principalem se obligavit, beneficio et di-
mis jandente.
8. Sisler, Georg: De pauperi, qual ob neglectum
investiturae renovationem in curios fundatibus
Gymnasiis hodie obtinet.
9. Soennerring, Iam. Th.: De perturbatione certicæ et
crisi.
10. Frank, Caselius: In veram originem dogmatis
Christiani d. S. Trinitatis disquisitio theologica.
antisoloiniana, in qua Ignophi Priestlegi, Angli, hac
de re polistinum sententia examinatur.




⁴
DISSERTATIO ²
INAUGURALIS MEDICA
DE ^{1786, 3}
FUNCTIONUM INTRA
CONVALESCENTIAM
RESTITUTIONE

QUAM
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE
DECRETO

PRO GRADU DOCTORIS, SUMMISQUE IN MEDICINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS,
AD AUDIENDAM DEMONSTRATIONEM
ANATOMICAM DISTRIBUIT

AUTHOR
STEPHANUS DIEMER,
BIERINGENSIS,
IN AUDITORIO ANATOMICO
Die XXII. Mensis Martii MDCCCLXXXVI.

MOGUNTIAE,
Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. privil. apud Joann. Jof. Alef,
Hered. Haeffner.




PRAENOBILI

CLARISSIMO ET EXPERTISSIMO

VIRO AC DOMINO

D.CAROLO STRACK

MEDICINAE DOCTORI, EMINENTISS. AC CELSISS. PRINC. ELECT.
MOGUNT. CONSIL. AUL., PRAXEOS MEDICAET COLLEGII CLINICI
PROFESSORI PUBLICO ET ORDINARIO, FACULTATIS MEDICAET
ASSESSORI, ET H. T. DECANO,
ELECTORAL. UTILIUM SCIENT. ACAD. ERFORDENSIS ET REGIAE
SOCIETATIS MEDICAES PARISIENSIS NEC NON PRINC. HASSIAC.
GIESSEN. ACADEMIAE SOCIO.



VIR CELEBERRIME!

*F*on ideo quidem ego iftam exi-
qui voluminis operam , per quam
incipio; Nominis Tuo subscribo,
ut adulator laudes Tuas extollam;
sed ut ipfa sub Twix Auspiciis tu-
ta appareat , simul & ut ea , quae
recta certaque novisti , ingenuo , li-
beralique animo fidenter nobis dif-
cipulis tradidisti , spernens mer-
cenaria arcana , incurius laudis ,

*Temptor Invidiae, Studioſus boni,
ſemper idem facilis, atque conſcius
Veri, ridens infidias, calcansque
calumnias, ſimiliter Tibi reddam
tanquam grati animi Thesfaram*

vale!

*Jum Tuus non inglorius
Discipulus*

STEPHANUS DIEMER.

PRÆFATIO.

Erat hucusque in Academiis mos,
ut, qui Doctoris gradum at-
que praerogativam consequi vellent,
scientiae suae Notitiam typis palam
ostenderet. Ita plurima hucusque
ejusmodi specimina diversim ad nos
pervenerunt; saepe intollerabilia! sci-
licet prout scribens quisque utile pul-
chrumque suum putabat. Ego in tanta
talium dissertationum farragine, tam-
que diversa opinionum contentione
ut recti quid allatus essent, diu apud
animum meum haesitavi, quale argu-
mentum, quod neque vulgare, neque
tritum, sed communi hominum bono
foret, utiliter agitarem. His confide-
ratis de Functionum intra convalescen-
tiam Restitutione dicere aggredior, sci-

licet de qua re, quantum ego quidem
scire potui, pauci ante nos locuti sunt,
maximeque cum ista quidem Notitia
plurimum conferat cum ad crisiūm
cognitionem, tum ad morborum chro-
nicorum curationem. Neque dubito
fore Medicos practicos, quos solos,
eheu paucos! natura ad recte obser-
vandum aptos finxit, similia pluraque
talia experta habere.

Quodsi fortassis de hac quidem re
minus, quam per meam scientiam licu-
erit, dixero; tamen mihi sufficiat nor-
mam, viamque indicasse, per quam
recte ad verum perveniri possit. His
indicatis artifex Indagator quisque
utique cœtera inveniet. Ita fortassis
utilis ero. Hoc est, quod scribam:
spreta vagae dissertationis inani amba-
gine, & tempto furtivae eruditionis
fuco.

DISSER-



DISSE^TRAT^O
DE
FUNCTIONUM INTRA CONVA-
LESCENTIAM RESTITUTIONE.

Unusquisque Morbus modo longius
modo brevius tempus suo curri-
culo implet: hoc antiquissimi olim Medici
in stadia distinxerunt, quos posteriores
recte fecuti sunt; tria tantum horum stadia
Hippocrates posuit, „est, ubi ex moderatis
„initiis augescit, & exacerbatur, & simul
„atque aliquantis per vigorem acceperit ad
„judicium usque, sub ipsumque judicium,
„rursus se remittit a), cum A. C. Celsus se-

* 5 cutus

^{a)} Epidem. Lib. I. S. 3.



cutus est, b) idem Galenus sustinet c): Postiores Medici quatuor stadia admittunt, sic ut inter stadium coctionis & criscos intermedium ponant, quod Perturbationem Criticam nominant: Cruditatis stadium est, in quo adversa materia corpus sive ea exiūs ingressa, sive intus orta fuerit, idem vitiat, siveque functiones laedit. Sequitur hanc operam alterum stadium, quod coctionis nomen accepit: intra id natura excitatis ita viribus in adversam hanc materiam liberalius (utique nunc minus impedita) agit, & pededentim temporis progressu magis magisque reagit, donec eandem conterrat, & sic ipsam benignam efficiat, imposterum aptam exitui: ante istum exitum novæ oriuntur turbæ, quas natura excitat, quæ Perturbationis criticæ Nomen fortissimum sunt; istud tertium hodie stadium appellari jure meretur: sequitur quartum, quod criscos vocant. Atque talia quidem Acutorum

b) Lib. III. Cap. 2.

c) Cap. I. de totius Morbi temporibus.

rum Morborum stadia sunt d), quæ Medicus nosse ante debet, quam curationem instituit; absque ista Notitia vehementer peccant, qui Morbi Nomen nosse contenti sua remedia adhibent semper vaga & erronea, siquidem ut A. C. Celsus dixit (cujus rei non est certa notitia, ejus opinio certum reperiire remedium non potest e).

Inter Morbi finem & perfectae valetudinis initium medium quoddam stadium quintum distat,

d) Neque ipsa in chronicis Morbis, si bene atendimus, detunt. Siquidem ut olim Hippocrates dixit, Morbum chronicum, ut curationi aptus fiat, in acutum mutari debere. Quam quidem sententiam, quae perpetua non est, liberter ii Medici recipiunt, qui sedilitatem fugiunt, & perinde calefacientia adhibent, scilicet ut febri exierint, a qua curationem exspectant, falsi in tali curationis apparatu per A. C. Celsi sententiam (sed est circumspicli quoque hominis & novare interdum- & augere Morbum, & febres accendere, quia curationem, ubi id, quod est, non recipit, potest id recipere quod futurum est, A. C. Celsus Lib. III. Cap. 9.

e) A. C. Celsus Lib III. Cap. 9.



distat, quod convalescentiae voco, intra quod, quoniam vires magis, quam intra ipsum Morbum consistunt, multæ adhuc crises contingunt notatu maxime dignæ, quas Medici Philosophi prosequuntur, Mercerierii autem propter ægrorum turbam non intuentur.

In universum autem nosse plurimum inter-
est, duas febrium crises esse, alteram febris,
alteram materiae, quam febris ipsa intus re-
liquit; prior crisis febris est, altera Mater-
iae, quae intra reconvalescentiam expli-
etur f); exempla doctos non latent.

Ita Crisium, quae intra Convalescenti-
am contingunt, cognitio plurimum confert
tum ad cognoscendos, tum ad curandos
Morbos chronicos.

Intra Morbi cruditatem, coctionem, Per-
turbationemque criticam tum secretiones,
tum excretiones retinentur, etiam post cri-
sin febris, imo intra crisi materialie, quae
intra

f) Cl. Strack observ. medicin. de febr. intermitt.
pag. 42.

intra reconvalescentiam fit. Finitis omnibus istis omnia ea eliminantur, quae per ista impedimenta interea intus retinebantur. Ista actio vocatur Restitutio functionum g): de hac scribere vifum operae pretium est: maximeque cum ista Theoria non trita, sed perutilis esse videatur.

Res autem latius per exempla patebit. Qui propter febrim intermittentem, quoniā ea inveteravit, hydropticī facti sunt, hi omnem aquam, quae intra Morbum convenit, urinae profluvio per se emittunt, posteaquam cortice Peruviano expuncta febris est h), quod & ipse exemplis doctus in vetula, quae tali hydrope affecta erat, expertus sum; sana evenit, expuncta per multum corticem Peruvianum febre largo urinae profluvio.

Qui propter vermes aut putridam in imo ventre faburram facti hydropticī sunt, hi

ex-

g) Cl. Werlhof obſerv. de febr. pag. 230. 238.
edit. hannov.

Cl. Strack c. i. pag. 51.

h) Cl. Strack l. c. pag 203.



expulsa putrilagine omnem hydropem min-
gendo eliminant. Quibus dysenterici Mias-
matis quidquam intus mansit, ideoque hy-
dropici evenerunt, omnem aquam urina
emitunt, posteaquam omnes dysenteriae
reliquiae purgantibus remediis subtrahae
sunt i).

Ridiculum igitur est, cum adeo diversae
hydropis causae sint, omnibus in universum
hydropoe laborantibus similiter uno eodem
que remedio succurrere, draſticis pura,
aut diurheticis.

Si Puerpera dysenteria corripitur, neque
lac accipit, neque lochia emitit: excussa
dysenteria lac recipit, & lochia, veluti a
recenti partu fluant; idem contingit in di-
versis febris. Intra dysenteriam contagio-
sam singularis mucus per alvum secedit,
ſtercora intus retinentur: finita dysenteria
ſtercora sanorum similia secedunt k): simi-
liter in eodem Morbo materia & perspira-
tionis

i) Cl. Strack Tentamen de dysenter. p. 101.

k) Idem Tentamen de dysenter. p. 68.

tionis & sudoris retinetur; excusso Morbo sudor erumpit, qui suos Patronos fecellit.

Quae Nutrices lac ob febrim intermittem amiserunt, expuncta per corticem peruvianum febre idem liberaliter recipiunt. Puerarum lochia, quae ob febrim intus retenta fuerunt, submissa febre veluti a recenti partu erumpunt *l*): idem in pleuritide & omnibus febribus continentibus contingit; expulso namque Morbo omnes istae functiones restituuntur *m*).

Si infantes lactentes compactos lactis grummos in intestino recto habent, & ideo eorum urina praecepta est, ibidemque dolent; hi extracta per Enema foece liberaliter min- gunt doloris imposterum expertes. In quorum puerorum glandulas meseraicas miasma crustae lacteae se inclinavit, hi Nutritionis defectu contabescunt; expulso vero per vi-
olam

l) Cl. Strack observ. medicin. de febr. interm., Lib. III. Cap. V.

m) Idem Nova Theoria Pleutitidis verae.

olam tricolorem Linnæi miastmate, rursum impinguescant & bene habent n).

Qui intra sanitatem sputa pingua ejicere consueverunt, hi incidente febre continente nihil horum exspuunt; exspuunt autem post finitam febrim: simile contingit Phthisicis intra pleuritidem veram: excussa vero pleuritide similiter ut ante sputa ejiciunt. Sic sudor, qui per Morbum intus retentus fuit, ad exitum Morbi iterum liberalis erumpit o).

Intra asthma spasmodicum tussicula sicca est; finita asthmatis accessione bronchiales glandulæ mucum, quem ante retinuerunt liberaliter erucent. Qui ob continentis febris ardorem crustam sanguinis inflammatoriam acceperunt, & ipsa intra convalescentiam costa atque deposita in infimo ventre est, ibidemque diu residet, aquam intercutim saepe colligunt: hi subducta alvo plenum mingunt: ita pueri, qui febre scarlatina laborabant, si eorum crusta inflamma-

toria

o) Cl. Strack de morb. c. Petech. p. 149.

n) Idem de crusta lactea.

toria ex infimo ventre educitur, lectum contra consuetudinem impunes permingunt Naturae beneficio p): idem his contingit post quosque Morbos inflammatorios, si recta curatione habitu fuerunt.

Atque tales quidem intra Convalescentiam Restitutiones functionum sunt, quarum Notitia ad multorum chronicorum Morborum cognitionem curationemque viam pandit: non ipsae quidem crises ipsae sunt, quoniam Morbum non finiunt, sed finito Morbo contingunt q): possunt tamen non nunquam ipsae crises esse, non Morbi quidem, a quo veniunt, sed vitii, quod Morbum secutum est; e. g. urinae profluvium, quod hydropem, qui a febre intermittente, vel a vermis in infimo ventre nidulantibus, vel a dysenteriar emanat, sequitur, non febris, non dysenteriae crisis est, sed hydropsis, quem priores Morbi excitarunt.

**

Per

p) Cl. Metternich de urina ut signo p. 11.

q) Idem l. c. pag. 11.

Per haec & multa alia hujusmodi Exempla
vero unicuique Medico Practico palam
erit, quantum aegrorum salutis interficit,
nosse, quae causa functiones turbet, qua
ratione id, quod eas vitiat, tolli possit:
ob quem attentionis defectum non adeo
multi Medici celebres in cognoscendis at-
que curandis Morbis chronicis fuere; quo-
rum plurimi absque tali observatione vana
ac inania, atque a vero prorsus aliena me-
dicamenta adhibuerunt: ob istam enim sci-
entiae Penuriam & auxilii inopiam ea, quae
intus contra Naturam remanent, corrum-
puntur, corruptione universum corpus per-
fumant; & nisi causa cognita succurritur,
aegrum jugulant: ita exempli causa hydro-
picorum aqua, quae intus remanet, postre-
mo putrescit, neque putrefacta medelam
admittit r).

His indicatis & ita constitutis opus esse
existimo, ut Medici Practici non Morbos

tan-

r) Cl. Huxham Vol. II. p. 275.



tantum, qui sunt, agitare studeant, sed &
ut eosdem procul in convalescentiam prose-
quentur: verum (qui quaestui serviunt,
quoniam is major ex populo est, libenter
amplectuntur ea praecpta, quae sedulita-
tem non exigunt s).

s) A. C. Cellius.



61

Bei einem Buch aus dem Jahr 1600, welches
in einer kleinen Schatzkammer im Kloster von
Klosterneuburg aufbewahrt wird, steht auf der
rechten Seite des Titelblattes folgende handschriftliche
Bemerkung: „Die Geschichte der Stadt und
Kirche von Klosterneuburg.“

61

1650

Mainz, Diss., 1786

ULB Halle
005 822 564

3



KOIP

TA → OL

4
DISSERTATIO 2 3
INAUGURALIS MEDICA
DE 1786, 3/
FUNCTIONUM INTRA
CONVALESCENTIAM
RESTITUTIONE

QUAM
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE
DECRETO

PRO GRADU DOCTORIS, SUMMISQUE IN MEDICINA
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS,
AD AUDIENDAM DEMONSTRATIONEM
ANATOMICAM DISTRIBUIT

AUTHOR
STEPHANUS DIEMER,
BIERINGENSIS,
IN AUDITORIO ANATOMICO
Die XXII. Mensis Martii MDCCCLXXXVI.

MOGUNTIAE,
Ex Typogr. Elect. Aul. Acad. privil. apud Joann. Jof. Alef,
Hered. Haeffner.

